



Taubmann. axiomate

approbatum semel reprobari non potest 148. 13
quod semel placuit amplius displicere non debet 129. num. 4.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33

L. L. 9
M. M. 6 10



177.

CUM DEO!
COLLEGGII INSTITUT.
PUBLICI
DISPUTATIO SEPTIMA
Ethico-Politico-Juridica
De
SERVITUTI-
BUS
REALIBUS ET PERSONALIBUS.

Ad Tit. 2 3 4 & 5. Lib. II.

EXHIBENS

TEXTUS

Continuationem, Quæstiones,
Antinomias & Axiomata.

Quam

Sub PRÆSIDIO

CHRISTIANI TAUBMANNI

J. U. D. & Profefs. Publ.

Discutiendam proponit

ALBERTUS Beckmeyer Lübbeccâ

Westphalus.

Ad diem 6. Augusti In Auditorio 3 Clorum horis antemerid.

WITTEBERGÆ,

Typis Ambrosij Rothi Acad. Typogr.

Anno M DC XXXVI.

CUM DEO
COLLEGIUM INSTITUTUM.

PUBLICI
DISPUTATIO SEPTIMA
Ethico-Polico-Juridica

DE
SERVITUTIBUS

BUS
REALEBUS ET PERSONALIBUS.

ALTIORUM LIB. IV.
EXMENS
MENS
Constitutionem, Questiones
Axiomas & Axiomas

Sub PRESDIO

CHRISTIANI TAUBMANNI

J. H. O. & Prof. Publ.

ALBERTUS
Wittenbergae

Ab diebus Augusti in Auditorio Curiae hanc curam

WITTEBERGAE,

Typis Ambrosii Rothi Acad. Typogr.

Anno M DC XXXVI.



MEMBRUM I.

Continens Textus Continuationem

TIT II.

De Rebus Corporalibus & Incorporalibus.



Quædam præterea RES CORPORALES sunt, quæ sub aspectum sensumq; cadunt. *pr. § 1. hîc.* Quædam Incorporales, quæ tangi non possunt §. 2. sed intellectu tantum percipiuntur. Qualia sunt ea, quæ in jure consistunt, & sine ullo corpore, juris intellectum habent; ut: *Dominium; Hereditas; Obliga. §. 3. hîc.*

TIT. III.

De Servitutibus Prædiorum.

Est autem SERVITUS jus in re alienâ, quo Dominus aliquid pati in suo, *ut non ire, agere, aut non facere, ut alius edes non tollere, cogitur.* Et est DUPLEX; cum personæ serviunt, tum res; *De illâ in lib. 1.* Res iterum vel Rei servit, vel Personæ. REALIS sive prædialis servitus est, quæ â re rei debetur, & sine prædiis constitui nequit. §. 3. Ac pro diversitate prædiorum vel Rustica est vel urbana. RUSTICA, quæ prædiis rusticis debetur: ut: *Iter: Actus: Via: Aquaductus; haustus aquæ; pecoris ad aquam appulsus; jus pascendi; calcis coquendæ, arena fodiendæ* *princ §. 2. hîc.* URBANA, quæ ædificiis inhæret, etiam in villa ædificatis §. 1. Cujus species sunt: *Oneris ferendi; tigni immittendi; stillicidii vel fluminis avertendi, vel non avertendi; alius tollendi, vel non tollendi; luminibus non officiendi.* Et constituuntur

A 2 TUR



tur tam inter vivos, pactionibus, scil. & stipulationibus; quàm
ultimis voluntatibus seu testamentis. §. ult.

MEMBRUM II

Continens Quaestiones.

I. Pecunia numerata utrum rebus mobilibus & corpora-
libus, an verò incorporalibus sit annumeranda? *Disting. cum*
Harpr. hinc p. 245. n. 11. Först. de Domin. c. 1. n. 50. & c.

II. An pecunia ad prædiorum sive immobilium emptio-
nem destinata, mobilis sit? *Dist. cum Harpr. ib. n. 12. Vid. Ne-*
belkra Decis. forens. l. 1. decis. 11. Treutl. vol. post. disp. 13. tb. 4. g.

III. Num inter hæreditatem, & res hereditarias Juri no-
stri rectè distinguant? *Aff. cum Först. disp. 6. tb. ult. Harpr.*
hic p. 244. n. 24. Contra Senec. & Alciat.

IV. An obligationes rectè juri rerum annumerentur?
Aff. cum Bachov. de action. disp. 1. tb. 13. Don. En l. 12. c. 1. d. A-
rum. Ex. 12. tb. 2. & 3. Först. d. 2. tb. 1. Cubach. cent. 3. dec. q.
1. Riem. dec. 9. q. 1. Harpr. p. 248. n. 35. contra Vultei.

§. 2. tit. 2.

V. An & quatenus nomina, jura, actiones, annui redditus
& similia, inter mobilia, vel immobilia referri debeant. *Vid.*
Berlich. part. 3. concl. 33. & c. Harpr. n. 42.

VI. An jus decerpenti pomum, vel jus spatiandi, canan-
dive in alieno, servitutibus sit annumerandum *Neg. cum*
Harpr. p. 258. n. 17. contra Treutl. vol. 1. disp. 17. tb. 5. c.

VII. Num hæc servitutes sint juris gent. an verò juris ci-
vilis. *Prius Aff. cum Först. d. 7. tb. 1. Harpr. p. 260. n. 25. Contra*
Hottom. & Donell.

Pr. tit. 3.

VIII. An in servitute actus, iter quoque contineatur? *Aff.*
cum Arum. Ex 5. tb. 5. Don. En. l. 11. c. 5. e. Bachov. ad Treutl. vol. 1.
Disp. 17. tb. 4. c. Riem. Dec. 4. q. 9. Ungeb. Ex. 6. q. 5. Harpr. p.
265. n. 48. Contra Ant. Fabr. & Schifferdeck.

IX. Utrum, si quis plura pecora, quàm in servitute conven-
tum est, ad aquam appellat, totam amittat servitutem? *Neg.*
sum Harpr. p. 271. v. 88.

X. An

X. An publicus pastor, si pecus per culpam amittat, ad ejus solutionem teneatur? Aff. cum Harpr. *ibid.* n. 72. Schneidvv. *bic.* num 40.

XI. An jus venandi servitutibus annumerandum? Neg. cum Hænon. *disp.* 5. *tb.* 2. Niell. *disp.* feud. 3. *tb.* 3. Bocer. *class.* 5. *tb.* 3. b. Harp. p. 276. Contra Zass. Gail. & Hartm. Hartm.

XII. An distinctio Dd. quod Servitus quædam sit merè personalis, quædam merè realis, quædam mixta, sit bona? Neg. cum Först. d. 7. *tb.* 2. contra Forcat.

XIII. Num in servitutibus realibus exigatur necessariò vicinitas? Neg. nisi locus intermedius impedit usum servitutis cum Först. *ib.* *tb.* 3. Donell. 1. *comm.* 2. Harpr p. 359. num. 17. contra Wesenb. & Vultei.

XIV. An rectè in definitione viæ pro Eundi legatur Vebundi? Aff. cum Arum. Ex. 5. *tb.* 6. Först. *tb.* 4. Vid Harpr. p. 268. num. 65.

XV. Num prædia qualitate magis & usu, quam loco discernenda? Aff. cum Först *tb.* 6. Hænon *tb.* 3. Contra Donell.

XVI. An jus altius tollendi, sit servitus? Aff. cum Först. *tb.* 9. Hænon. *tb.* 4. Arum. *tb.* 8. Harpr. p. 281. n. 31 contra Vultei. Vid. Frantsck Ex. 5. q. 2. Bachov. ad Treutl. d. 17. *tb.* 2. d.

XVII. An servitus altius tollendi, & non tollendi sint distinctæ servitutes? Aff. cum Först. *tb.* 10. Hænon. *tb.* 5. Contra Cujac. & Donell.

XVIII. An servitus altius non tollendi, sit distincta species à servitute, ne luminibus officiat? Aff. cum Harpr. p. 183. n. 36. Hænon. *tb.* 6. Först. *tb.* 10. Contra Donell Bronchorst & Matth.

XIX. Num servitute non constituta, licet aperto pariete fenestram habere invito Domino? Aff. cum Don. Enucl. l. ii. c. 5. d. Bocer. cl. 5. d. 8. *tb.* 50. Bachov. ad Treutl. v. i. d. 17. *tb.* 3. contra Först. *tb.* 7. & Hænon. *tb.* 6. Riem. dec. 4. q. 8. Vid. Harpr. p. 286. n. 53.

XX. si quis servitatem projiciendi habet in fundum meum, an etiam foetidas res & gravi odore noxias projicere possit

possit? Neg. cum Hæon. *ib.* 7. & Cæpoll. in *tr. de serv. c. 30. n. 2.*
& *c. 31. n. 5 Harpr. p. 291. ib. 18.*

XXI. An servitus luminum, & ne luminibus officiat, quid differant? Aff. cum Först. *ib.* 11. *Hortom. 2. amicab. 4.* Contra Donell. & Henon.

XXII. An vasallus in re feudali alteri possit servitutem constituere? Neg. cū Först. *ib.* 12. contra Harpr. *p. 298 n. 28. Rosenthal.*

XXIII. An servitutes reales sine prædiis constitui possint. Neg. cum Arum Ex. *5. ib. 11 Hænon. ib. 10. Harpr. p. 293. n. 1.*

XXIV. An omnes servitutes habeant perpetuam causam? Aff. cum Harpr. *p. 288. n. 3. Don. En l. 11. c. 3.*

XXV. An servitus, quæ prædio Dominanti inutilis sit, constitui possit? Neg. cum Hænon. *ib. 1.* Bron. *b. c. 1. ass. 98.* contra Coras. & Pacum cent. *3 ass. 56.*

XXVI. An unus ex Dominis fundo communi servitutem imponere vel acquirere pro parte sua valeat? Neg. cum Harpr. *p. 293. n. 6.*

XXVII. Utrum, si unus ex dominis prædio communi, servitutem imponat, cæteris non quidem expressè reclamantibus, sed tamen scientibus, servitus hæc subsistat? Aff. cum Harpr. *p. 295. n. 14.*

XXVIII. Utrum proprietatis nudæ Dominus, consentiente usufructuario, servitutem imponere possit? Aff. cum Harpr. *p. 296. n. 18. Vid. Bacch. ad Treutl. vol. 1. d. 16. ib. 10. d. Don. En. l. 10. c. 11. 4.*

XXIX. An servitutes usucapi possint? Varietatem juris cum Först. *ib. 13. agnosco, & quoad Justinianum jus Aff. Vid. Arum. ib. 13. Harpr. p. 302. n. 5.*

XXX. An autem ad usucapionem servitutum titulus, scientia & patientia Adversarij requiratur? Vid. Frantsk. Ex. *5 q. 4 Harpr. p. 304. n. 14. Treutl. v. 1. d. 17. ib. 9. c.*

XXXI. Num servitutes oppignorari queant? Neg. cum Arum. *ib. 14. Harpr. p. 360. n. 21.*

XXXII. An autem rei sive prædii servientis interitu servitutes prædiales amittantur? Neg. cum Arum. *ib. 15. Harpr.*

p. 311. Treutl. vol. 1. disp. 17. tb. 16. g. Contra Wesenb. Bachov. & Bocer.

MEMBRUM III.

Continens Antinomias.

I. In *pr. hic*. Iter inter servitutes, & quidem reales computatur: Cum tamen *in l. 2. §. 2. vers. Namq; ff si servit. vindic.* disertè statuatur: Iter non esse servitutē Et *in l. ff. 6. de servileg. jus transeundi* five eundi personæ datum esse dicatur: Proindeque iter malè servitutibus realibus assignatur. Vid. *Harpr. p. 264. n. 44.*

II. In eodem quoque principio habetur: *Aqueductum esse servitutem rusticam.* Et tamen *Ulpian in l. 11. §. 1. ff de Public. in rem act.* indicat: *Aqueductum esse servitutem urbanam:* Insuper hinc numeratur inter reales servitutes. *In l. vero 37. ff. de servit. præd. rust.* Aqueductus personæ non prædio debetur. Vid. *Harpr. p. 269. n. 76. Först d. 7. tb. 5. Arum. Ex 5. tb. 10.*

III. In §. 1. *hic*. dicitur. *Ædificia omnia urbana prædia appellamus, etsi in villa ædificata:* At *in l. 4. §. 1. ff. In quib. causis. pign. vel hypoth. tac. contrab.* Neratius stabula quæ sunt extra continentia ædificia, inter prædia rustica computat. Vid. *Harpr. p. 278. n. 5 Först. tb. 6. Hænon tb. 3.*

IV. Deinde in eodem §. 1. quædam Servitutes inter urbanas referuntur, quæ tamen *in l. 2 ff. de servit. rust. præd. rusticis* annumerantur. Vid. *Harpr. tb. n. 4. Gödd. ad l. 166. d. VS. Bronck. cent. 1. a/s. 95. Martin. hic tb. 21.*

V. *Aquæhaustus, & pecoris ad aquam appullus in §. 2 hic* servitutibus realibus rusticis annumerantur. *In l. vero 14. § 3. vers Nam. ff. de alim. & cibar. leg.* Ad personales referuntur. Vid. *Hæn. disp. 5. 9. Arum. Ex. 5. tb. 10. Martin. hic. tb. 22. Matth. hic.*

MEMBRUM IV.

Continens Axiomata & Digressiones

I. Vicino pactioibus atq; stipulationibus jus constituendum, *arg. §. 4. Ne penetret itaq; unquam animos nostros imma-*

Pachym. l. 3. bist. Byzanti



immanis illa vox : Nihil cuiusquam esse, nisi eius qui rei bellica studeat : quam olim usurpasse Gallos legimus, se in armis jus ferre & omnia virorum fortium esse jactantes. Hoc enim si admittimus, quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent : & barbaro ritu, caede caedem. sanguine sanguinem exprabimus? Romani quidem certe non nisi pia ac justa arma soliti sunt induere : à quibus paganis hominibus probitate nos & justitia superari, ad dedecus Christiani nominis pertinuerit. Id quidem non inficiamur, cum Duo sint genera decertandi, unum per Disceptationem, alterum per Vim : confugiendum esse ad posterius, si uti non licet priore : nec Vim injustam in eum esse, qui jus aequum pati non potest. Atqui vero, ut ex sapiente C. Ponti Samnitium Imperatoris effato, justum est bellum, quibus NECESSARIUM : & pia arma, quibus nulla, nisi in armis, relinquitur spes : ita vicissim injustum esse bellum, quibus non necessarium : & arma impia, quibus alio quam armis modo transigere licitum, æquus rerum æstimator ignorare nemo potest. Nam si vel illud juris compendium spectemus, & legum omnium legem : Quod TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS : quam ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus : quam corruptæ naturæ nostræ Sacris in litteris iterum iterumque inculcatam legimus : quam laudatissimus Imp. Alex. Severus usque adeò dilexit, sive à Judæis sive à Christianis acceptam, ut eam & per præconem, cum aliquem emendaret, pronuntiare, & in publicis operibus atque palatio præscribi juberet. Hujus generis monitum Mecænatis ad Augustum est : Si bæc tuâ sponte omnia egeris, quæ velles alium in te imperium habentem agere, nullâ in re peccabis. Jam mihi velim quotquot rerum potiuntur, descendant in seipso, & relicto paullisper illo sublimi dignitatis suæ culmine, vel privatorum hominum subsellis animo & cogitatione se misceant : imaginentur autem in se aut suum territorium viam adfectare quosdam δηροβόγος & poplivoros, qui resistentes, ad caedem, ad sanguinem deposcant : qui omnia ferro flammisq; pervastent, non sexu non atate miserrationem adferente : qui profana simul & sacra solo aquent : qui denique

Liv 1.5 c.36.

Tac. 4. hist. 74.

Liv 30 e. 31.

Cic. 1 off.

Liv 38. c. 50

40. 1. 9. c. 1.

Ter. Eun.

Tac. 3. an. 69.

Cic. pro.

A. Mil.

Matth. 7. v. 12.

Tob. 4. 16.

Lamprid. in

Alex. c. 51.

Dio. l. 52.

denique funditus omnes & omnia moliantur exscindere; quid animi quaeso, sibi futurum existimant? Aut omnia inefalunt! aut omnia jura, naturalia, divina, humana violari clamitabunt. Quæ cum ita sint, cogitate ipsi, an nunc multo fatius sit: *Omissis precipitiis, tuta & salutaria capeffere: vetera novis, & quietam turbidam antepone: non Vos Remque publicam in casum dare: Sed jungere potius amabili pacto dexteram, quam armorum furore amplius miscere: moderatione, compositione amabili, ac sapientia potius extinguere motum civilium hancce flammam, quam armis & ferro rem ulterius in discrimen adducere: Denique pacem pactis amplecti: quippe in pace causæ & merita spectantur: ubi bellum ingruit, innocentes ac noxii juxta cadunt quæ sanè promiscua cædes, præsentium Germaniæ malorum non medicina, sed clades patriæ potius dicenda.*

Tac. 15. Ann.
29. & 1.

Cic. Phil. 5.

Tac. 1. ann.

48.

1. Ann. 49.

Sallust. ad
Cæs.

II. Vicinis non officiendum §. 1. Dolendum est (inquit Melancht. postill. Dom. 4. post. Trinit. p. 206.) quod nusquam sint acerbiores iræ, & odia pertinaciora, quam inter vicinos, imò & in ipsa Ecclesia. Odium Cain adversus Abel est multo atrocius, quam Romani alicujus stantis in acie adversus Parthos. Quando Hector & Ajax apud Homerum præliantur: & intervenit Præco, & jubet eos desistere: vult dirimere certamen: Dicit Ajax: Ego non prior cæpi. Dicas ei qui prior incæpit, ut prior desistat. Hector desinit primò, postea certant mutuò donis militaribus. Tale aliquid non est in Cain, ut dicitur; *Fratrum inimicitia sunt acerbissima.* Ira de hermanos, ira de diablos, inquit Hispanus. Et Tacitus: *Ferme acerrima proximorum odia sunt.* Causam tradit Aristot. 7. pol. 7. Sed hoc non est naturale. *Ἀσπυλία* est quiddam Diabolicum. Opponitur autem huic peccato præceptum istud: *Remittite.* Itaque non sunt audiendi importunissima Exterorum hominum genera, qui tot vicinorum sanguine satiari nequiverunt. Nam & nos non dico homines sumus, etsi hoc unum nomen ad immanitatem istam detestandam satis esse poterat; sed Germani sumus, hoc est, fratres sumus; sed jure vicinitatis devincti sumus

Prov. 18. v.

19.

4. bist. 70.

B

mus

sumus invicem: imò quod omni cognatione validius est, Christiani sumus. Igitur cur malumus usque dubiam Martis aleam experiri? Ach Gott wie würde die Christenheit/so weit vnd ferne außgebreit / zu Land vnd Wasser nehmen zu / wann nur wir Christen hetten ruh / vnd nicht einander selbst ohn noht / verfolgen vnd schlügen zu Todt / kein Feind vns widerstehen könt / so fern vns Gott sein Segen gönt. Sonst weil wir thun das wieder spiel / Gehis vns auch wie der liebe Gott wil. Dis ist nun vnser billiger Lohn / daß ihms nur keiner Zorn thun. Aus einem schreiben so Anno 1545. den 17. Mart. an Erzhertzog Maximil. zu Osterreich außgangen. Et ista tamen omnia civilium bellorum damna quomodocunque toleranda videri queant, modò certa victoria esset. Novimus enim, *habere aliquid ex iniquo damnosq; omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependitur. Et scimus, digitum praecidi oportere, si ob eam rem gangrana non sit ad brachium ventura.* Atqui & illa incertissima est. Nam qui hîc omnia leta sibi fingunt, omnesq; in bello secundos expectant eventus, nã illi gravissimo errore cœcantur, nec incertos exitus pugnarum, Martemq; belli communem & ἀλλοτρίαν μάχην satis expendere videntur. Fortuna enim est: *Ex his quae tribuit tibi, quàm mutabilis sit, reputa. Mars communis, & interimit quodq; perimentem.* Quod si verò quis existimet, sibi Martium hunc ingresso campum, si minus fortuna voto respondeat, integrum semper facileque futurum, pedem retrahere, fallitur. Ut enim in corporibus in præceps jactis, nullum ultra sui arbitrium est, nec eunt, sed feruntur: utque facilis in puteum descensus est, reparare gradum, hoc opus, hic labor est: sic etiam. Omne bellum sumitur facilè, cæterùm ægerrimè desinit: non in ejusdem potestate initium ejus & finis est: incipere cuiusvis etiam ignavo licet: deponi; cum victores velint. Adeoque cum omnia exputaveris: *Melior tutiorq; est aliqualis pax, quàm sperata victoria: Spes enim, hominum res sæpè spissas facit.* Ergo pariter ad illam ita, tam quibus salus quàm quibus Gloria carissima est. Victi dico & Victores, ad

Londorp. act
publ. p. 106.

Tac. 14.

An. 44.

Varro in
frag.

Tac. 3. hist.
54.

Cic. pro Mic.

Curt. 1.3.
Hom. 71.

Sallust. in
Iug. c. 83.

Liv. 30. c. 30.

Assens.

Tacit. Agr.

ad hanc ite. Illa ex equo utilis. Et Pacem reduci velle, Victori expedit, Victo necesse est. Et rebus inclinatis, magis est ut te inclines; Gubernator, ubi naufragium timet, jacturâ, quidquid sanari potest, redimit. Si pratermittis hoc tempus, quo dare magis quam accipere potes pacem, vereor ne hac latitia luxuriet tibi ac vana evadat. Et fiat illud, quod vir pius inclamat: Pacem contemntes, & gloriam appetentes, pacem perdunt & gloriam.

15. Ann.
Sen. Here.
for.
Liv. l. 23.
Bernb. in Ep.

III. Servitutes sine prædiis non consistunt. §. 3. Quid itaque indignius est, & à professione sancta magis alienum, quam in Papatu monachos contra paupertatis votum redditus eximios possidere: atq; ita possidere, ut neglecto Christianæ caritatis affectu proventuum suorum reliquias non pauperibus alendis, sed augendo patrimonio & novis prædiorum emptionibus destinant. *Aliena à vobis sunt* (ait D. Hieronymus) *auri argentiq; pondera: vestra possessio spiritualis est.* Et D. Ambrosius: *Nilil Ecclesia sibi, nisi fidem possidet: hos redditus prabet, hos fructus: Possessio Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat & subveniat.* Nam primis fidei Christianæ nascentis temporibus Ecclesia non alios redditus habuit præter voluntarias Christianorum elemosynas, quas Prælati & Antistites, quibus credebatur ærarij ecclesiastici administratio, pie ac providè dispensabant, pauperes & egenos alendo, captivis & peregrinis necessaria subministrando: veram esse opulentiam rati, quæ in multitudine elemosynarum, non pecuniarum cumulo consistit. Adeo ut Imper. Niceph. Phocas edicto vetuit, ne Ecclesiarum fundi & redditus auferentur. Quin & tandem Ecclesias immobilium incapaces esse constitutum fuit. Sed cum tandem aliquando non modicæ tantum elemosynæ, sed & latifundia donarentur, opes sub Christianis Principibus profusa nimis largitione crevêrunt. *Divitiæ luxum excitavêre,* Prælatique opibus affluentes, & delitiis corrupti, à priscâ integritate recessêrunt, ut exinde quotidianæ elemosynæ à divite clero sperni & per contemptum omitti inciperent. *Salvianus* de divitiis Ecclesiæ ita loquitur: *Impedimenta hæc, non*

Ep. ad Eust.
l. 2. ep. 17.
ad Valent.
Ep. 2.

Zonar. 10. 3.
Ann p. 162.
Nov. 120.

l. 2. ad Eccles.
Cat. p. 179.

B 2

adjumenta:



neeromanticus vit. pat.

c.1.

Avent. l. 7.

p. 762.

Matt. 20. 28.

Marc. 10. 43.

1. Pet. 2. 17.

& 5. 5.

Niceph.

l. 10. Hist.

Byrant, c. 11.

Erasm. in

adag. Sileni

Alcibiad.

Goldast rom.

1. const. imp.

p. 50.

adjumenta: onera non subsidia: Possessione enim & usu opum non suffulcitur Religio, sed evertitur. Verè everfa est: Ita ut Gregorius 7. monachus vafer, astutus, ac neeromanticus (teste Bennone & Sigeberto) primus anathemate notaverit Henricum IV. Imperat. Et Imperio abrogare, subditos sacramento solvere, & simul omnes adhærentes, etiam dignitatibus ac beneficiis, diris execrationibus adjectis, privare tentaverit: Agite (inquit ad Cardinales & alios clericos Apostolorum Princeps) & vestra auctoritate, quod dixi, confirmate, ut omnes nunc demum intelligant: Nos Imperia, Regna, Principatus & quidquid mortales habere possunt, auferre & dare posse. Impius Abdicator Hen. 3. c. 6. Verum rectè Attaliba Rex Peru dixit: Insigniter fatuum esse oportet Papam, qui quæ non habet, aliis liberaliter largitur: id est; servitutem prædiis, quæ tamen non habet, imponit: vel certè impudentem ac injustum nebulonem, qui ejectis veris possessoribus alienas terras peregrinis addicit, & in mutuas cædes mortale genus armat. Non decet enim (inquit Gregor. Turon.) Clericos facultatibus mundanis extolli, sed humilitate cordis regnum Dei justitiamq; ejus exquirere. Exoptandus itaq; Ludovicus Imp. qui Servatoris illud VOS AUTEM NON SIC, & alterum illud: Regnum meum non est de hoc mundo, Vicarium Christi rectius edoceret: qui Petri successorem, Petri exemplo pauperem esse, Petri verbis honorificare Regem, ac humilitatem induere juberet. (Nam D. Petrus qui tantum jaclant, non imitantur; tanto majore sunt odio & aversatione digni) qui moneret, non esse t præposterus quidam Silenus, titulo, cultu, ceremoniis externis tantum, pietatem & religionem ostentans, cujus intra vix micam habet: sed ut imitaretur veteres illos Episcopos, humilitate sublimes, paupertate locupletes, gloria neglecta gloriosos, adeoq; verè Silenos Alcibiadis: Si id nollet, idem ei diceret, quod olim Imp. Henricus IV Hildebrando Papæ: Tu, quisquis es, non Apostolica, descende, descende: vindicatam tibi sedem Apostolicam relinque: alius in solium B. Petri ascendat, qui nulla violentia religionē palliet: sed D. Petri sanam doctrinam doceat: Denique ut verbo absolvam, qui fastum libidi-

libidinemq; dominandi comprimeret, quã usq; adeo servus ille ser-
vorum furit, insanit, atq; in præcep̃s abit, ut omnium savissimo-
rum tyrannorum, quos unquam fuisse legimus, superbiam vincere
propalam perfriã fronte contendat. Vid. Beren. tub. pac. p. 226.
Autor de jure princip. th. 18. § 39. Brutum fulm. p. 81. Robert.
rer. judic. l. 2. c. 2. p. 330. Avent. l. 7.
p. 792.

IV. Defuncti voluntas & persona heredi sacro-
sancta esse debet. arg. §. 4. vers. potest. Quo fine etiam pri-
orum Principum acta à successoribus conservantur. Sueton.
in Augusto: Nihil convenientius ducens quam necem avunculi
vindicare, & adtueri. Imo etiam Tyrannorum. Cicer. Ni-
hil usitatius, quã Tyrannorum acta valere. De simili re Gellius:
Sic boni sententia mansit, turpis auctor mutatus est. Idem fece-
runt Arcadius & Honor. & Maximine Tyranno cæso legem
tulerunt: Quæ tyrannus contra jus rescriptis, non valere præcipi-
mus, legitimis ejus rescriptis minimè impugnandis. Pari ratione
Nerva & Trajanus beneficia Domitiani conservarunt In re-
bus enim ad dignitatem pertinentibus successor in dignitatem
antecessoris contractui obligatur. c. Abbate sane de re judic. l.
2. § ult. C. de quadrien. præscript. Enormes tamen alienationes
per successores legitimis remediis revocari possunt. Choppin.
de doman. Franc. l. 2. tit. 5. Sed ut contractus transmittuntur
ad successores contrahentium, ita & personæ reverentia. Qua-
re successor non debet concedere, ut cædes Principis, quan-
tumvis hostis, impunita maneat; quod Laurentius ille Medi-
ceus dixit, se nolle committere, ut opinio hæc in animos ho-
minum illabatur, regium sive Principalem sanguinem licere
effundere. Qui enim Princeps principem interficit, exem-
plum dat sui interficiendi, suumque ipsius latus denudat. Ideo
sanctus David: Occidi, inquit, eum, qui nuntio allato de morte
Sauli, premium sibi dari postulabat; quanto magis homines impios,
qui interfecerunt virum justum in domo sua & lecto dormientem?
Eodem consilio Augustus percussores Cesaris intra biennium
ultus est: quod eleganter Guntherus: Sic Augustorum primus
summusq; Monarches, Eximiusq; nepos, crudelia Cesaris olim

B 3 Hostibus

Hostibus extinctis, pius ac fortissimus ultor, Protinus accepto diademate fata piavit. Et Severus Imp. Pertinacis interfectores capitali poena damnavit: quod factum teste Herodian. incredibilem illi tum gloriam attulit, tum etiam diutissime imperandi securitatem. Sic Domitianus Neronis libertum, quod Neroni petenti jugulum operam tulisset, ad supplicium traxit. Unde acer scriptor: Utor est, inquit, quisquis successit. Ideo Vitellius interfectores Galbae, quantumvis hostis, omnes conqueri & interfici iussit: Non, ut ait Tacitus, honore Galbae, sed tradito Principibus more, munimentum in praesens, in posterum ultionem. Cujus rei rationem praecclare exposuit Alexandro Davig à Bello letaliter vulneratus: Exempli, communemq; omnium Regum, esse causam, quam negligere illi indecorum esse & periculosum, quippe cum in altero justitiae ejus, in altero etiam utilitatis causa versetur. Quae etiam ratio videtur, propter quam Nero Pilato caput amputari iussit, quod Christum Regem Judaeorum supplicio afficere non dubitasset, si Suida credendum est. Sic Bajaretas Turcarum Imperator, Bernardum Bandinum Juliani Medicis percussorem, qui in Asiam usque perfugerat, dignitate & sceleris atrocitate permotus, ad supplicium tradidit, ut refert Jovius. Tam altas scil. radices agunt contemptus & injuria: adeo ut supremis saepe tabulis vindictam haeredibus mandarent homines injuriâ affecti, si sani valentesque eam non quiverint ulcisci. Sueton. in vita Claudii, cum scriberet Germanicum Pisoni amicitiam renuntiasse, ait: At ne eum quidem ultra progressum, quam ut amicitiam ei renunciaret, mandaretque domesticis ultionem, si quid sibi accideret. Hunc morem, quamvis à Christiano instituto abhorrentem, vindictae heredibus mandandae Italos retinuisse produnt Scriptores. Sic Fisco deferuntur & acquiruntur eorum bona, qui testatoris mortem non vindicarunt. l. 1. ff. de jure fise. & l. 18. §. fin. ib. l. 1. C. ubi caus. fise. Nec solum jure vet Roman. verum etiam lege Wisigothorum Regum in Hispania ultionis studium inflammatur iis verbis: Quod si iidem proximi ad quarendam defuncti mortem aut tepidi fuerint, aut forte distulerint, tunc accusandi homicidam

*lib. 6. fori
jud. tit. 5.
lib. 15.*

dam omnibus generaliter, tam aliis parentibus, quam extraneis adicum pandimus. Et post alia prosequitur: Ita ut, qui homicidam fraudulenter excusare conatus fuerit, vel defendere, commodum quod propterea fuerit consecutus, in duplum compellatur accusatori persolvere: Vid. Clapm. de arcan. rerump. l. 3. l. 17. Henr. Zolner de Regis Rom. elect. conclus. 22. f. Matth. Steph. de jurisd. l. 2. c. 1. memb. 1. n. 68. Sc. Dan Otto jur. pub. c. 8. p. 202. Turturree. paral. Ethic. jurid. p. 31.

V. Cui plus, etiam minus concessum videtur, arg. princ. vers. Ita. vel: Cui licet quod plus, licet utiq, quod est minus Unde si vigore statuti liceat occidere rebannitum vel adulterum, fortius licebit verberare vel vulnerare: Et si licet occidere, licet & capere secundum Bald. in l. si. C. de exhib. reis. Item per istum arguendi modum Alb. de Rosar. Aug. & Jas. in l. de quibus ff. de ll. & Salic. in l. 1. C. de jure empb. decidunt quaestionem illam: An incrementum alluvionis accrescat & acquiratur emphyteuta, nec ne? Et post multa concludunt, quod sic, instar usufructuarii, cui incrementum alluvionis accrescit. Hinc etiam est, quod si per statutum excludatur filia à successione paterna extante filio masculo, fortius excludetur neptis: ut volunt Bald. Paul. de castro in l. si verò §. de viro ff. sol. matrin. Et habet quoque locum in prohibitivis delictis scil. & poenis eorum l. si quis & ibi Bald. in 2. notab. notat C. de Episc. & Cler. Nam si punitur attentatum, multò fortius consummatum. Et ad hoc singulariter facit. l. si adulterum §. liberto, ibi. Cujus fama, multò magis vitæ parcendum est. ff. ad l. Jul. de adult. cum ibi notatis per Dyn. Bart. & alios Vid. Eberhard. topic. loc. 15. p. 224.

VI. Usus excludit abusum arg. §. 2. Unde Dominus prædii servientis loca, in quibus alteri debet jus pascendi, invito Domino prædii dominantis mutare, & ad culturam reducere non potest, si inde Dominus prædii dominantis damnum patiat. l. 7. in fin. & l. 9. C. de servitut & aq. l. 2. C. de lege Aquil. Nihil etenim facere licet, quo servitutis usus impediatur. l. 2. ff. de servit. prad. urb. l. 9. pr. ff. si serv. vindic. Berlich. part.

ngz

part. 2. conclus. 49 n. 24. Et. Itaque & is, qui servitatem pas-
 cendi habet, non debet uti pascuis cum pecoribus morbosis; ne
 & alia pecora contagione morbofi pecoris pereant. arg. l. 13.
 in pr ff. ubi Dd. de adion. exempt. Quod spectat elegans distichon:
 Morbida facta pecus, totum corrumpit ovile: Ne maculet socias,
 est separanda grege. Unde & B. Hieronym. scribit: Resecanda
 sunt putrida carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda: ne tota
 domus, massa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant,
 intereant. can. resec. 16. caus. 24. q. 3. Eodem facit textus in
 can. pen. vers. sicut ex una ove morbida & c. dist. 45. & textus in
 l. 2 pr. C. de summ. trinit. per quem Guitiel. de Cun. Bald. & P. de
 Castro notant: Quod ubicunque est timor infectionis possit
 fieri expulsio de civitate. Idem tradit Cæpolla in tract. de ser-
 vit. rust. prad. c. 9. n. 21. Hinc Ludov. Romanus in l. 8. C. de te-
 stam. asserit: Quod patientes morbum pestiferum sint è civi-
 tate removendi: sicuti etiam leprosi à civitate excluduntur.
 Eum refert & sequitur Schneidw. hic. ubi n. 42. ex Nov. 14. §. 1.
 subijcit: Quod quemadmodum lenones à civitate longissimè ex-
 pelli debent, ne scilicet bonæ & honestæ mulieres inficiantur:
 ita & Scholaris vagus, impudicus & malus de Collegio five V-
 niversitate repelliqueat; ne bonos & castos corrumpat. Harpr.
 hic p. 273. n. 99. Interim tamen cum quibusdam non statim ad
 illud urefca descendendum; tutior via altera docendi & du-
 cendi. Ingenua nostra, ut nobiles & generosi equi, melius facili
 freno reguntur. Et errantem per agros ignorantia via, melius
 est ad rectum iter admoveere, quam expellere. In fidibus si quid
 discrepat, non abrumpis statim, sed paulatim reducis ad con-
 centum: In disciplina Scholastica cur non idem fit? Et pecca-
 ta sic compescis, ut sint quos peccasse peniteat? Si autem prorsus
 recalcitrosi? Puniantur à te, ne tu pro illis puniaris. Ma-
 ximè si turbent; & indignos ac pessimos, imò magis ser-
 viles, & quorum effectus injuria est, ludos exercere, & alia
 crimina vel in ipsos Professores, vel in socios suos, & maximè
 in eos, qui rudes ad recitationem legum perveniunt, perpetrare
 audeant.

Cic. Phil 8.
 Sen. 1. de
 clem.

ib. de ira 1.

Augustin ad
 Afr. Provi-
 cens.

Cypr. de util.
 pæn.

Justinian.
 Imp. const.
 aerat. &
 meth. jur.
 doc. §. 9.

videant. Melius enim est, ut pereat unus, quam ut pereat unitas. Augustinus
Et ut membrum potius aliquod, quam totum corpus intereat. Cic. 3. Phil.

MEMBRUM I.

Continens Textus Continuationem

TIT IV.

DE USUFRUCTU

PERSONALIS servitus est, quæ à re personæ debetur; Cujus tres hîc species referuntur: *Ususfructus, Usus & Habitatio.* USUFRUCTUS est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia. *princ.* Et est duplex: *Verus* in iis, quæ usu non consumuntur §. 2. Et; *Quasi* in iis, quæ mediante cautione in abusu consistunt. *ibid.* Constituitur uterque tam testamento, quam pactioibus & stipulationibus. §. 1. *Finitur* autem Morte usufructuarij: Capitis diminutione: Negligentia & non usu: Cessione: Consolidatione: Mutatione & interitu rei: Et denique Tempore. *princ.* §. 3. & 4.

MEMBRUM II.

Continens Quaestiones.

- I. An per Jus in b. *princ.* Servitus intelligatur personalis? *Aff.* cum Först. d. 8. tb. 1. *Vult.* hîc n. 7. & l. 1. J. R. c. 63. num. 16. *Contra* Donell. & Harpr. hîc. p. 313. n. 8.
- II. Num operæ servorum sint servitutes personales? *Neg.* cum Först. tb. 10. Harpr. p. 312. n. 5. *Marcil.* hîc p. 253. *Contra* Donell. & Boser. *class.* 5. d. 9. tb. 2.
- III. An usufructus in causalem & formalem possit dividi? *Neg.* cum *Godd.* adl. 25. de V. S. n. 5. Först. tb. 2. *Hænon.* d. 5. tb. 15. Harpr. p. 317. n. 22. *Contra* Don. En. Hillig. l. 10. c. 2. e. *Hottom.* & *Hunn.*

C

IV. An

IV. An usufructus sit dividuus? Dist. cum Riem dec. 5. q. 2. Vid. Först. tb. 3. Harpr. p. 314. n. 10. & p. 409. n. 18. Bachov. ad Treutl. v. 1. d. 16. tb. 3. k.

§. 2. V. Num usufructus vestimentorum, sit verus usufructus aut quasi? Dist. cum Först. tb. 7. Arum. Ex. 5. q. 18. Harpr. p. 318. n. 25. Don. En. Hillig. l. 10. c. 4. b. Contra Donell. Bocer & Bachov.

VI. An si quis annuos redditus vel fructus fundi leget, usum fructum legasse intelligatur? Aff. cum Hænon, tb. 16. & Harpr. p. 322. n. 3.

VII. An si feudum filio fuerit datum, ejus usufructus acquiratur Patri? Neg. cum Först. tb. 5. Hænon. tb. 22. Harpr. p. 328. n. 31. contra Somsbec. & Frid. Schenck.

VIII. An testator usum fructum relinquens earum rerum, quæ usu consumuntur, cautionem usufructuario remittere possit? Neg. cum Först. tb. 6. Hænon. tb. 19. Don. En. l. 10. c. 4. & Treutl. v. 1. d. 16. tb. 5. e. & b. Bachov. Arum. Ex. 5. tb. 19. Contra Harpr. p. 344. n. 15. Ungeb. Bocer. & Fachin. l. 8. contr. 43.

IX. An usufructuarius omnium bonorum ad solvendum æs alienum & legata teneatur? Neg. cum Hænon. tb. 17. Arum. tb. 21. Fachin. 4. contr. 29. Harpr. p. 376. 164. contra Guidon. & Bartol.

X. An cautio usufructuaria fidejussoribus fieri debeat? Aff. cum Hænon. tb. 18. Arum. tb. 20. Harpr. p. 343. n. 9. Fachin. 8. contr. 40. Contra Wesenb. parat. usufr. quemad. cav. num. 3.

XI. An autem cautio ista à testatore usufructuario remitti possit? Neg. cum Hænon. tb. 21. Harpr. p. 381. n. 183.

XII. An usufructuarius jus sibi in re constitutum alii locare, vendere vel oppignorare possit? Aff. cum Först. tb. 8. Arum. tb. 22. Riem. Dec. 5. q. 2. Ungeb. Exer. 6. q. 9. Contra Harpr. p. 325. n. 19. Frantsk. & Donell.

XIII. Thesaurus in fundo fructuario inventus, an usufructuario cedat? Disting. cum Harpr. p. 350. n. 48.

XIV. Anne utilis Servitutum prædio fructuario debita-
rum

rum vindicatio usufructuario competat? Neg. cum Arum.
ib. 23.

XV. Si fructuarius, perceptis jam fructibus, nec dum finito anno cepti usufructus moriatur: an totius anni fructus ad heredem eius pertineant? Aff. cum Harpr. p. 359. n. 86. Bevens d. 4. th. 2. q. 4. contra Cujac.

XVI. An ob cessionem Extraneo factam, usufructus amittatur? Neg. Cum Harpr. p. 399. n. 39. Giphani. d. 10. n. 33. & Matth. hic. contra Cujac. & Hunnium.

MEMBRUM III

Continens Antinomias.

I. In §. 1. hic dicitur, quod usufructus separationem à Domino recipere possit. Et tamen in l. 4. ff. de usufruct. dicitur, quod pars Domini sit. Vid. Martin. hic. ib. 23. Gödd. ad l. 25. de V. S. Treutl. p. 1. disp. 16. th. 1. g. & ib. Bachov. p. 629. Don. En. l. 9. c. 9. c. Harpr. p. 315. n. 13.

II. In §. 2. hic asseritur: Quod etiam in servis usufructus constitui possit. Sed in l. 5. ff. de oper. serv. operis servi legatis, usum saltem datum intelligi. Vid. Martin. hic th. 24. Först. d. 8. th. 10. Hackelm. illust. quest. d. 37. th. 2. b. Harpr. p. 312. n. 5.

MEMBRUM IV.

Continens Axiomata.

I. Usufructus est jus in corpore, & eo sublato tollitur. *vinc.*

II. Usufructus à proprietate in perpetuum separatus esse non potest: §. 1. *vers. ne tamen.*

III. Quæ in abusu consistunt, id est usu consumuntur, vel quasi consumuntur non recipiunt verum usufructum §. 2. *hic.*

IV. Utilitas debet esse cum honestate conjuncta.

196

Sallust. Jug. c. 15. *arg. §. 2. vers. sed utilit.* Quamvis sic seculum nostrum, ut hæc illi posthabeatur: ac omnino paucis bonum & æquum divitiis atq; potentiâ charius sit: præcipue viris Principibus, qui (quod verè, sed verecundè dicam) interdum Honesto postposito, suis commodis atque cupiditatibus lenocinantur: Potentia ad impotentiam utuntur: Jus in armis ferunt: sine injuriâ potentiam levem atq; inopem esse arbitrantur: Illud probant Poetarum: Ubicunq; nuntium honesta Dominanti licent, Precario regnatur. Et Sceptrorum tota vis perit, si pendere justa. Incipit: Vel barbari Regis barbarum istud: Id in summa fortuna æquus, quod validius: & sua retinere, privata domus: de alienis certare, regiam laudem esse. Nec id hodie demum aut heri cæpi verum: Semper ita moris fuit, ut inferior à potentiore subjugaretur: & nihil cum potentiore juris humani relinqueretur inopi. Nihil ù impunè quælibet facere, id est Regem esse, eorum quidem opinione, quibus in mentem haud venit illud à Poeta divinitus pronuntiatum. Quicquid à vobis minor expavescit. Major hoc vobis Dominus minatur. Omne sub regno graviore regnū est. Aut certè, si quis Num. nis securi minus, culpam agnoscunt, cū Impert amen Andronicus: Hujusmodi peccata, minutos pisciculos, magnum Divina misericordia pelagus subeuntes, existimant: Vel excusant etiam atque defendunt: nihil esse cum lucro malum; sed omnia cum pretio honesta dicuntur: & quicquid valde utile sit, id fieri honestum etiam si antea non videretur. Cujusmodi quoque minimè èv Onuph. illud Euphemi dictum est. Viro Principi, aut urbi imperium tenenti, nihil est injustum, dummodum sit utile.

Athen. l. 12. *Sallust. Jug. c. 86.* Quamquam, si cogito, cum Germanis mihi rem esse, quibus non solum antiquitus ea tributa laus, quod magnitudinem suam malint justitiâ tueri: quodque ut armis, sic fide, nulli mortalium ante eos sint: sed etiam avo nostro; & quidem ab æmulæ nationis homine, datum invidendum illud elogium: Apud Germanos solos, nostrâ ætate, morum integritatem superesse videri: subit animum sperare, in eorum pectoribus tantam Honesti vim esse futuram, ut speciem Utilitatis obscuratura sit omnem. Ita solent, quia Germani sunt: ita debent etiam quia

Cic. 3. off. honestum

Thucid. l. 6. Tac. de mor. Germ. c. 35. 13 Ann. 54. Machiav. d. 1. de Rep. c. 55. Cic. 3. offic.

quia Christiani: quibus pudori sit & infamiae, commodi & utilitatis semitam illam intentè nimium secutos, aberrare à regâ & præscriptâ divinitus Honesti viâ, cum ipsos ad eâ saniores è Paganis ita judicasse videamus: *Non fas potentes posse, quod nefas.* Et optimus quisque *bene tantum conscientiae pretio, quâ majus nullum virtutis theatrum est.* Honestum colit. Non equidem nescis, potius metuendum, *lusciniola ne desuat cantio,* quàm speciosa nomina Magnatibus deficient, quæ culpis suis imponant. *Nec enim est quisquam tam malus, ut malus videri velit.* Et qui de re nefaria deliberat, id solum querit, quomodo quàm minimum peccare videatur, ac factio tuo colorem honestatis inducere queat. Verum hi frustra sunt. Quantum enimcunque celent: *Fama nihil impervestigatum, aut occultum sinit.* Sic fratricidium Romuli reprehendit Cicero: *Utilitas, inquit, valuit propter honestatem: Sine qua nec utilitas quidem esse potuisset.* At in eo Rege, qui urbem condidit, non ita: *Species enim utilitatis animum pepulit ejus: cui cum visum esset utilius, solum se, quàm cum altero regnare, fratrem interemit.* Omisit hic & pietatem & humanitatem, ut id quod utile videbatur, neque erat, adsequi posset. Et tamen muri caussam opposuit specie honestatis, nec probabilem, nec satis idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini vel Romuli dixerim. Persuasum itaque Magnatibus sit: *Argentum quidem & pecuniam esse communem: at Honestum & ex eo laudem ac gloriam Deorum esse, aut eorum, qui à Diis proximi censentur?*

Eurip.
Cic. 3. Tusc.
quest.
Plaut. in
Bacchid. pr.
Quintil.
1. 3. c. 8.
Nicetas in
Cornelio
3. Offic.
Polyb. in
excerpt.
Legat.

TIT V.

De usu & habitatione.

CONTINUATIO.

II. USUS, qui est jus rebus alienis utendi, salvâ earum substantiâ. Jisdemque modis & constituitur & finitur, quibus usufructus. *princ.* Sed *utimur* saltem ad necessitatem, *utimur fruimur* ad compendium quoque & lucrum §. 1. 2. 3 & 4.

III. HA-



III. HABITATIO est jus in alienis ædibus habitandi. § 2. & 5. Et hæc de Servitutibus: de reliquis rebus incorporalibus, ut hæreditatibus & obligat. infra audiemus. § fin.

QUÆSTIO) I. Num habitatio sit ususfructus. Neg. cum Först. d. 8. tb. II. contra Donell.

II. Num habitatio proprie sit servitus? Neg. cum Först. tb. 12. Hottom. hic § 3. obs. 23. contra Coraf.

III. An habitatio veniat nomine alimentorum? Aff. cum Coler. de aliment. l. 2. c. 1. n. 2. Dn. Gross disp. dec. 3. q. 10. Vid. Bronch. cent. 1. enant. abs. 47. Don. En. l. 12. c. 4. i. Gödd. ad l. 44. de V. S. n. 7.

DIGRESSIO) Mulier cui ædium usus legatus est, cum marito habitandi jus habet. § 2. in fin. hic. l. 4 §. 1. ff. 1. Ubi Vlpian testatur hoc. Q. Mutium primùm admisisse, ne ei matrimonio carendum foret, cum uti vult domo. Unde apud eos Populos, qui foeminarum Imperia ferre didicerunt; si Princeps aliquis peregrinus, Regni sibi despondeat heredem; non tam Dyarchia, quàm Monarchia, illorum conjugum, paribus auspiciis Majestateque regnantium gubernatio, appellanda videtur. Quippenam, qui duo prius erant, matrimoniali mediante agglutinatione, caro una sunt: horumque individuum propter vitæ consuetudinem, tum corporum, tum animorum; nedum potestatis & domus, perpetua intelligitur unitas. arg. Gens 2. vers. 24. Matth. 19. vers. 15. 1. Corinth 6. vers. 16. l. 1. ff. de ritu Nupt. l. 1. § 15. ad Sctum. Syllan Sic olim in Hispania, Ferdinandus & Isabella, paribus auspiciis omnia gubernarunt. In Belgio Albertus Austriacus, Als Mann vnd Vogt/oder vorsteher: Isabella Eugenia, Als Erbin vnd eigenthumbliche Besizerin / civitatibus iuramentum præstiterunt, ut refert Meteranus. Quin imò, omnis quam hic Maritus habet, ad tempus saltem durat potestas; quàm diu scilicet vixerit uxor: Ergo cum perpetua non sit, Majestas dici nequit. II. At verò ejusmodi nuptiarum pactis inseritur quandoque, Majestas uti in solidum penes

penes Reginam sit; ac ipsa sine mariti consensu imperare que-
 at. Hâc conditione *Maria* olim *Ungaria Regina*, Sigismundo
 Bohemix Regi, postea Imperatori: ac Patrum memoriâ, *Ma-*
ria Henrici Anglorum Regis filia, Philippo Hispano nupsit.
 Quo casu maritus non imperii, sed in administratione tan-
 tum uxori sit socius. Ac ut alias Princeps Augustæ, multa
 dat jura; *l. 31. ad fin. ff. d. legib.* etiam nonninquam Senatui;
 & consultationibus, honoris ergo admovet: uti fecisse Justi-
 nianum, testatur ipsius *constitutio 8. cap. 1.* Sic hîc Regina, ea-
 dem Regi tribuere videtur privilegia, quæ ipsa habet. Viro
 nihilominus constânte in conjugem *domestica potestatis* au-
 ctoritate: cujas cum *publicâ potestate optimè moderatio institui*
potest. Hasque proinde sceminas, absolutam Regnorum
 suorum *αυτοκρατορία* habentes, non tam Reginas, quam
 Reges nominandas, adnotat *Kirchner. disput. 4. append. 1. §*
in Legato 1. cap. 30. nu. 40. ubi subjungit: Harum Reginarum
 Maritos, instar privatorum, solum *Nuntium*, ipsas vero jure
 Majestatis mittere *Legatum.* Vid. *Besold. class. 1. disp.*

pol. 5. lb. II. Robert. rer. jud. p. 422.



S. U. C.

Was ist der rechte Weg mein Bruder den du / gehest.
 Das du mit Klugen much off der Catheder stehest
 Und forschest / wie man doch der Wahren Wahrheit Licht
 Erblicke : Welche so / wie jener Grieche spricht /
 Gar in der Tiefe liegt / verscharrer vnd vergraben.
 Wol lieber Pylades ! Laß deine Hohe gaben
 Nicht müßig ohne Frucht / vnd ohne Bücher sein /
 Gebrauche deine Pfunde. Die treffen eben ein
 Mit diesen vbungem der Themis. Sonsten können
 Auch schlechte Seelen sich vnd niedrige Sinnen
 In Ensen / vnd in Blut / in Kriegische Vnrub
 Leicht finden / Aber du / du Edler Pinde, du /

Mit



Mit deiner Kühle Chor / zu deiner reichen Güter
Erlangungen und dienst / bedarfst die Gemüther
Die etwas Höher sein / als Pöfel / derer brünst /
Nach nichts als Himmel steht / nach vnerforschter Kunst.
Nach Ehr' und Ewigkeit. Und eben dessen gleichen /
Durch diesen Tugend Pfad an Wissenschaft zu reichen /
Und was die nach sich zeicht / beginn mein werther Seunde /
Wan er mit freyen Sinn ins öffentlich' erscheint /
Und wil was er zuvor begriffen / von d'gesetzet /
Behaupten / Seinen muth / durch Ehre angehebet /
Vmb so viel fertiger zu machen / das er sich
Gewisser halten kan / In dem / das öffentlich /
Durch schutz des Präsidis (Den dessen Hohen nahmen /
Vor dem / vom Vatter her / zur Ehrerbietung nahmen
Und stunden alle auff die Mulae , sondern auch
Herr Phœbus jeko noch nach Pindi Hoffe brauch
Benebenst / Themidi / ein gnädiges geberden
Und fremde von sich giebt . Sol ausgeführt werden.
Wohl dir ! der Males Chor wart schon / dich mit der zeit
Vff Themidis befehl mit grünen Ehrenleid
Zu zieren Fahr nur fort / denn Hochensündre Sinnen /
Die lassen niemahl ab von d'apferen beginnen /
Sie ziehen ihren Weg / und brechen immer fort /
Durch alles Ungemach zu wahrer Ehren port.

Heinrich / Friederich
Keinhardi.

E N D E.

00 A 6414

ULB Halle 3
002 928 094



12

1017







177.

DEO!
INSTITUT.
LICI
SEPTIMA
co-Juridica
TUTTI.
PERSONALIBUS.
Es. Lib. II.
BENS
TUS
Quæstiones,
Axiomata.
IDIO
TAUBMANNI
fess. Publ.
proponit
eckmeyer Lübbeccâ
alus.
ctorum horis antemerid.
ERGÆ,
thi Acad. Typogr.
XXXVI.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres